



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

**Puente, Luis de la
Coloniae Agrippinae, 1616**

Introductio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

opus est, pro qua impetranda recurramus pro more ad Virginem sacratissimam, cui felix hic vir fuit pijsimè addictus, & per quam singulares gratias, & fauores ab ipso Domino accepit. Aue Maria, &c.

INTRODVCTIO.

MEMORIA IOSIAE, &c. stupendum est strictum illud' vinculum vnionis & amoris, colligatio illa & amicitia, quam Deus in omnibus creaturis aliquam similitudinem, conformitatem, ac mutuam aliarum ab alijs dependentiam habentibus posuit; admirandus quoque ille quasi naturalis affectus, quem omnes habent, vt sint simul, nec aliæ ab alijs separentur: Ad cuius rei probationem omittamus creaturas illas, quæ sensu carent; imò & eas, quæ sensu quidem vtuntur, sed sunt irrationales: & loquamur solum de ijs, quæ ratione ducuntur, in quibus id quod diximus, eminenter apparet: nisi deprauata voluntas id impediat. Nam quemadmodum Ratio iuuat ad similitudinem, conformitatem, ac mutuam aliarum ab alijs dependentiam cognoscendam: ita etiam conducit plurimum ad hanc vnionem conseruandam. Hinc affectus ille naturalis adeò vehemens oritur, quo filius cupit esse apud suum parentem, & parens apud filium; frater apud fratrem; amicus apud amicum; & conterranei cum suis conterraneis; fidelis seruus cum suo hero, & subditus cum humano & clemente suo Domino; ac denique quicumque maiorem inter se habent conuenientiam, & aliorum ab alijs subordinationem: & eo vsque affectus

affectus huius vis peruenit, vt cum tales non possumus apud nos superstites habere; optemus simul nobiscum aut propè nos etiam mortuos habere, quos dileximus, eorumque ossibus quasi adhærere; demusque operam, vt etiam in ipsa morte conueniant, & simul sint in vna Ecclesia, in vna Capella, imo in vno sepulchro; ita vt amor hic, & naturalis affectus videatur, cum ipsa morte contendere, & par illi esse, ita interpretans illud

a Cant. 3. 6. Canticoꝝ: *a fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus emulatio*; & per verbum *inferni* sepulchrum intelligens. quasi dicat: non est mors potens, nec ipsum sepulchrum ad amorem hunc, & affectum naturalem eorum, qui se in vita dilexerunt, impediendum: nam etiam in ipsa morte, & sepulchro volunt eorum ossa simul conuenire. Quoties nec sine mysterio (ad naturalem hunc affectum cordibus hominum ab ipsa natura innatum ostendendum) repetunt diuinæ scripturæ in libris Regum & Paralipomenon desiderium, quo Reges Iudææ tenebantur, vt in sepulchris Patrum suorum sepelirentur; & ita fieri post mortem illorum consueuisse, dicitur enim: *sepultus est in ciuitate Dauid cum Patribus suis, & sepelierunt eum in sepulchro Patrum suorum*: & in eisdem libris contra scribitur de aliquibus, quod non fuerint sepulti cum Patribus suis, nec ossa cum ossibus coniuncta, in poenam & quidem magnam: vt euenit Ioram, & Ioas, & temerario illo Ozia. Hunc naturalem affectum insinuat sanctus Augustinus, cum ait, matrem suam S. Monicam desiderium ingens habuisse moriendi in Africa, vt posset in sepulchro viri sui sepeliri: quamuis aduertens,

1. Paral. 21.

24. 26.

Lib. 1. Confess. 6. 9.

tens, Dei voluntatem esse vt ad ostia Tiberina moreretur, sanctæ eius voluntati libenter acquieuit. Mille possemus huius rei exempla ex omni antiquitate adducere: sed satis sit dicere: adeò affectum hunc in hominibus vixisse, vt Cicero in eleganti illa Oratione, quam habuit pro Sexto Roscio Amerino, vt miseriam eius extolleret, in quam aduersarij eum coniecerant, non habuerit efficaciorẽ rationem, quam vt diceret: *eui de tanto patrimonio, ne iter quidem ad sepulchrum Patrum relictum est: Vt scilicet illud videret: quasi dixerit: adeò cupiunt homines sepulchra Patrum suorum propè se habere, & posse ad illa ire, & sæpius inuisere, vt non potuerit magis exaggerari miseria, in quam Roscium eius hostes coniecerant, quàm dicendo, quod accessum impediuerint ad sepulchrum illud. In ipsis etiam sacris literis duo huius rei habemus exempla singularia: alterum est sanctæ illius mulieris Ruth, quæ cum amorem & affectum erga Soctum suam Noemi etiam si alienigenam in naturalem iam conuertisset, cupiens nec viuam nec mortuam ab illa separari ei dixit: *b quocunque perrexeris pergam; & vbi morata fueris, & ego pariter morabor: quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar; ibique locum accipiam sepultura.* Alterum est magni illius Patriarchæ Iacob, (vt proprius iam ad nostrum propositum accedamus) qui, cum iam esset propè mortem & in terra aliena, cupiens ossa sua cum suorum parentum ossibus coniungi, mandauit valde serio filijs suis, vt corpus suum transferrent in terram Chanaam, vbi Pater eius Isaac, & Auus Abraham sepulti erant: *c Sepelite, in-**

b Ruth i. 16:

c Genes. 49:

Rr

quit;

quit, me cum Patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hetai. In qua re duæ fuerunt circumstantiæ, quæ satis ostenderunt naturalem hunc affectum, de quo agimus. Prima fuit ipsum desiderium & præceptum patris; secunda, cura & amor boni eius filij Ioseph, qui præcipue negotium illud in se receperat; & non solum tanquam filius obediens, & cupiens exequi mandatum Patris, corpus eius curauit in terram Chanaan deferri; sed etiam affectu ipso naturali, de quo loquimur, ductus: nam cupiens & ipse in patria sua sepeliri (quod in suo testamento constituit, & post-
Gen. 50. 24. *Exod. 13. 19.* ea Moyses impleuit) noluit ossa sua separari ab ossibus sui parentis. Quare statim corpus eius ad Auorum suorum sepulchrum detulit, ut omnia ibi simul essent. Et licet ipsius Ioseph ossa postea reposuerint in parte illa terræ promissionis, quæ
Iosu. 34. 32. vocabatur Sichem, (ob reuerentiam fortè sepulchri trium illorum sanctorum Patriarcharum) non tamen illud reposuerunt præcul ab illo, ut affectum illum ac desiderium naturale, de quo agimus explerent.

TOTVS hic discursus est effigies quædam valde ad rem eius causæ, quæ nos hodierna die ad hanc Ecclesiam conuocauit, ut ossa Patris Balthassaris Aluarij, loculo illo inclusa, videremus; quæ ex Prouincia Toletana ad Castellanam allata sunt, & in hoc Villa-gartiensi Collegio collocata, est enim hoc opus ortum ex affectu illo & amore, quo filij tenentur simul manendi cum suis parentibus, tam in vita quàm post mortem; & imitatio quædam valde ad viuum eius, quod fecit Ioseph cum corpore Patris sui Iacob: quam-
 uis

uis enim ibi adfuerit parentis morientis mandatum, hic autem non: adfuit tamen amor & cura fidelis ac beneuoli filij, qui ad imitationem Ioseph id fuerit exsequutus. Nec dubito, magno solatio dilecto huic Patri nostro futurum fuisse, vt in hac Prouincia vltimum suum diem obiret; suaque ossa simul essent cum ossibus Patrum, ac fratrum, totque filiorum suorum: sed existimauit fortè, etiam in Prouincia Toletana se inter eodem vitam suam finire: non solùm, quòd Societatem ingressus fuerit in præcipua eius parte, Vniuersitate scilicet complutensi; & per aliquot annos ibidem vixerit; & quod tempore mortis suæ esset totius Prouinciæ Præpositus, & Pater: sed, quod etiam simul sciret singularem charitatis, & vnionis spiritum, quò Deus vult coniunctos & colligatos esse omnes, quicumque sunt in Societate, cuiuscunque nationis sint, & in quacunque mundi parte conueniant; & in viginti tribus prouincijs, quas hodie habet Societas, distributas ferre in omnesterræ regiones, omnes qui in ea sunt habere cor vnum, & animam vnam: propter has, inquam, rationes, crediderim, illum nec dixisse, nec petijisse, vt ossa sua in hanc Prouinciam deferrentur: sed quamuis hæc non adfuerint, non tamen defuit amor ac desiderium Ioseph filij dilecti, huius, inquam, Prouinciæ, & nominatim huius Collegij, filij ipsius valde dilecti, quod cupidum habendi apud se dilecti sui patris ossa, ea petijt, & obtinuit per piam suam matrem, Donnam, ac Fundatricem D. Magdalenam Vllloiam, & nunc simul sunt, vt videtis in illo oculo: vt inter plurima & insignia opera ac beneficia, (ob

R r 2

quæ

quæ tota Societas, & peculiariter hæc Prouincia, & in ea maxime hoc Collegium eidem sumus obstricti, vt eius memoria in cordibus nostris perenetur) non sit hoc minimum; sed valde singulare: quòd curauerit foelicissima ista ossa huc adferri, vt Collegium hoc tanti voti ac desiderij sui compos euaserit. Cuius desiderij causa non tantum fuit naturalis ille affectus, etiam si adeò ille sit uehemens, qualem diximus esse vnionis, aliarum rerum cum alijs, præcipuè quam filij cum parentibus habere desiderant; sed alia quoque excelso ratio de cælo allata: vt hac ratione, recentior conseruantes memoriam talis Patris, imitemur rara virtutum eius exempla. Magna quidem fuit memoria, quam tota hæc Prouincia, & maxime hoc Collegium habuit semper de benedicto hoc Patre suo; & magnum solatium, quoties eius absentis recordabatur. Hoc testata sunt corda, lingua, & colloquia omnium, qui illum nouerunt; hoc muri eius Ecclesiæ, ipsius tempore erecti cum Rector esset, & Tyronum Magister; hoc cubicula & pergulæ, siue transitus huius Collegij, in quo suauissimus sanctitatis eius odor remansit; hoc huius Oppidi plateæ, per quas transiit aliquoties, & vestigium virtutum suarum reliquit. Sed ab hodierno die in posterum solatium hoc erit magis commune omnibus eius filijs, huic Collegio, ipsi Oppido, toti que Prouinciæ: siquidem illum præsentem iam habent, eiusque ossibus fruuntur, quæ tanquam fragrantissimi balsami vasa suauissimum odorem exhalant, eiusque memoriam cum tam propè sint, efficacius renouant. Quamobrem magni huius serui Dei memores iure opti-

re optimo dicere licebit: *memoria Iosia, &c.*

PUNCTVM I.

VT autem hoc distinctius & in particulari magis declaretur obseruandum est: tribus modis excitari posse in nobis rei alicuius memoriam: aut sola imaginatione interna ab alijs internis speciebus, quas in se habet, excitata: quæ ad talis rei memoriam eam deducunt, eiusque speciem & figuram representant; aut sermone & colloquio de eadem re, cuius memoriam ipsum colloquium sensim reddit viuaciorem; aut denique tertio ex auditu eorum, quæ alij loquuntur, & agunt de eadem re: tunc enim auditus tantum sufficit, vt interius rei memoria excitetur. Nunc igitur dico, omnibus his tribus modis dicere nobis prædicta verba, etiamsi metaphorica, qualis esset memoria, quæ in populo hebræo de pio illo Rege Iosia haberetur: ac proinde eisdem significari, quam de bono P. Balthassare Aluario habere debeamus.

AD explicandum primum, hoc est, quâ ratione memoria debeat internè ab imaginatione excitari, vsus est Sapiens aptissima metaphora, cum dixit: *memoria Iosia in compositione odoris facta opus pigmentarij, &c.* quasi diceret, eum in modum, quo excellens ac compositionum & fragrantium mixturarum conficiendarum peritissimus quispiam res varias miscet, muscum, balsamum, succinum, storacem, & similia, ex quibus globum componit fragrantissimi odoris: ita memoria sancti huius Regis esse debet, sicut ipsa imaginatio, quæ in se conseruat species alicuius

Rr 3

Dei